

P. II. Cap. V. prietatis verborum, quod viri docti patim eidem perhibent.
de Versione Servari enim in translatione, quæ nunc a vulgo nuncupatur, vocum
Vulgata Latina proprietatem in Lingua Latina, & perspicue exponi pleraque, quæ pres-
ertim e fontibus immediate traducta sunt, agnoscimus, eaque pars
aliis plerisque Latinis interpretationibus candem anteferendam duci-
mus, quæ vel nimia laborant obscuritate, vel minus sequuntur Latina
linguae proprietatem, sed & interdum eam de industria negligere ut-
dentur.

Quanquam hæc ita accipi velim, ut ne ullo pacto soloecismis
editionis Vulgatae patrocinari videar, de quibus ante sententiam dixi,
ait magnus Calovius noster cit. loc. §. 193. p. 692. Augustius ad-
huc encomium ei tribuit Lulloicus de Dieu, quando prefatione
ad Lectorem, animadversionibus in IV. Evangel. premissa ** 2, post-
quam excusasset, quod Vulgatum non raro Bezae notis prætule-
rit, ita pergit: magnus vir fuit Beza, eximie eruditionis, acerrimi
judicii, qui que suis in Novum Test. laboribus nunquam laudatam fa-
tis operam ecclesiis navavit, eternumque & supra invidiam nomen
comparavit. Verum si Vulgatum quoque interpretem, quisquis
tandem fuerit, doctum, imo doctissimum virum fuisse afferam, non
me peccasse judicavero. Suos habet fateor nervos, habet & suos
barbarismos. Sed quin passim ejus fidem judiciumque admirer, etiam
ubi barbarus videtur, negare non possum. Tandem & Grotius pre-
fatione annotation. suarum in Vet. Test. rationem reddens, cur ad
Vulgatum, quasi Textum, notas suas referat, inquit se Vulgatum
interpretem semper plurimi fecisse, non modo quod nulla dogmata in-
salubria continet, sed etiam quod multum habet in se eruditionis, quam-
quam in dicendi genere satis horridus: δ) usus denique Polemicus
contra Pontificos haud proletarius, iis in locis, quibus contra
ipsorum errores, pro veritate testimonium dicit. Authenticæ
enim cum ipsis sit, cuius autoritate stantque caduntque in contro-
versiis fidei, mire se torquent interpretes Pontificii, & quos vo-
cant Controversistæ, quando Vulgatam placitis ecclesiæ suæ con-
tradicentem habent. Vid. Guil. Estius Comm. ad Gal. V. 6. & Bel-
larminus lib. II. de justific. cap. IV. qui insignem Vulgatæ suæ bar-
barismum, præter meritum, Gal. V. 6. impingere haud verentur,
modo ut θέσιν Φυλάκισιν, & vocem Paulinam ἐργαζομένην, que
mediae διαθέσεως & Activæ significationis est, passive
sibi liceat interpretari.

Coll. oliv. A 156, 10